



einzelne vertheilt 11. III. 1915.

Bibl. theol. Mus. 36

18. Cuiusdem de ips.

~~G. H. 10.~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VI-16.

VITEBERG.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

8 19

בְּנֵי
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM,
De
Facie Mofis,
quam pingunt,
Cornutâ,[^]

Ad EXOD. C. XXXIV. Comma 29. ex parte
Publico συμφιλολογούντων submitunt
Examini

PRÆSES

M. MICHAEL Liebentanz/
&


RESPONDENS

MARTINUS HOFFMANNUS,
Vratislaviâ - Silesii.


In Auditorio Minori, a. d. XI. Augusti,
Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.
Anno MDC LX.



כש"ו



Ulpà non vacat iste Vulgi Poë-
tarum Genius, quo ad Aures demul-
cendas, & alias id Genus, blanditias, extra
verum sapius errare amat, & eò libentiùs
quidem, quò sibi parum fidei haberi, minus
est nescius. Passu pari ambulare cum illo
videtur Pictorum solertia, quibus æquam
audendi quidlibet & fingendi potestatem

Fidicen Romanæ Lyræ concessit. Et hi enim spectantium im-
mane quantum illecebris delinituri, aut sublituri rectiùs, oculos,
Colorum fucò illitas sistunt Imagines & Tabulas, quas nec spe-
ciem Personæ, nec rem facti veram exprimere, plus satis persua-
sissimi sunt. Ita olim Atheniensis Phidias, qui scripsit in Jovis Olympi
Digito, παντάγους καλός, Pulcher omnes adjuvans, Non erat enim
ei pulcher Jupiter, sed is, qui ab eo amabatur. Praxiteles autem ut de-
clarat Posidippus in libro de Cnidio, Veneris Cnidie construens Imagi-
nem, fecit eam formæ similem Cratini, quam amabat, ut adorarent
miseri amicam Praxitelis. Cum floreret autem Phryne meretrix The-
spiaca pictores omnes imitabantur Veneris Imagines ad Phrynes pulchri-
tudinem. Sicut rursus Lapidæ quoq; Mercurios effingebant Athenis
ad Alcibiadem. Hæc ex omnigenâ scriptorum Gentilium Lectione
Christianorum Plutarchus, Clemens Alexandrinus Protreptico ad
Gentes p. 22. E. doctè adnotavit. Sed verò, sicuti de sacris Poëtis
Vanitatis illius nihil suspicari licet, quippe quibus non tam Car-
minum suorum curæ erat numerus adstrictus sollicitè, quam ut
vitæ integer, scelerisq; & doctrinæ purus esset Versus, luculenter
id singillatim illustrante Plur. Rever. atq; Excell. Dn. D. Johanne
Meisnero Disput. de Θεωρεώπια Descensu ad Inferos, hic Witteberge
Anno 1640. habita Cap. I. §. XV. Sic Pictorum etiam Christianorum
intererat meritò, non quidvis, sacras præprimis Personas Histo-
riasq; sub quâvis ad Arbitrium, sed, quoad fieri pote, eâ describe-
re, quæ congrua, nec rei adversaria, sit effigie. Hinc fallere mihi
visi sunt, qui immolandi à Parente Isaaci Historiam daturi de-
pictam, Abrahamum à tergo remotius stantem Caput Filii popli-

A 2

tibus

tibus flexi, idu gladii dejecturum violenter, collocant. Magis probata autem fuit Pictura in Ecclesiis Christianorum tempore Gregorii Nysseni inventa, quam ex eodem Magnus Chemnitius Part. IV. Examinis Conc. Trid. p. 49. allegat hisce Verbis: *Pro-cumbit ante Aram Isaac, genibus innixus circumductas ferens in tergo manus, Abraham vero à tergo pueri innixus pedū Curvamine, sinistram Comam Pueri apprehendit, ad se trahens, declinat autem faciem ad puerum, miserabiliter illum intuens, dextram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad Cadem dirigit.* Maximè tamen omnium per-Placet, quæ in Bibliis Wittebergensibus hoc Anno Francofurti editis visitur æri incisa Delineatio. Parili notandus venit obelo Pictorum Ausus, duodenos illos divino Flamine cælitus anima-tos Apostolos effigiantium, quasi Lingvæ igneæ ac flammulæ Caput eorum verticibus infideant. Utut enim quispiam Poë-tarum, Drepanus nempe *Florus in Exhort.* ita cecinerit:

Cum vehemens subito sonuisset ab æthere flatus,
Fulissetq; omni vertice Lingva rubens.

Attamen ex jure factum esse Potestatis ad lubitum fingendi quid-vis, existimaverim, aut Ignorantiâ Ebræis frequentatæ Ellipseos, Opinionem hanc peperisse. Claret sanè ex Historici Sacri Actor. II, 3. verbis, non flammæ, sed Spiritum S. super unumquemq; eorum sedisse. Conf. *B. Doct. Glassium Gram. Sacra. l. IV. Tr. II. Observ. XII. p. 725.* Et qui communem Errorem destruit, suamq; certior de Igneis Lingvis sententiam ex Textu, Ratione, Interpretum Consensu, nec non ex Esai. VI. validè adstruit *Dn. D. Joh. Henr. Ursinum Analect. Sacr. Lib. VI. quest. 38. p. 408.* Si quod autem *ωδύνη*, sublestam Pictorum fidem palam reddens, invenias, certè Cornuti Mosis absurda pictura est. Hoc enim Penicilli sui Manuumq; propriarum foetu & statuarii simul ac pictores hætenus insigniter sibi perplacuerunt, ut Viri divini hautquaquam, nisi sub Cornuum in vertice eminentium Bigâ, expressum repræsentari posse Vultum, miserè crediderint. Tanta vis est vetustatis, tamq; grave Consuetudinis, etiam sine Veritate, Imperium. Quibus verò consultis Auspiciis rem hancce gesserint confidenter adeò, faciles ariolari possumus. Conferas Vulgatam modo Bibliorum Versionem à Concilio Tridentino ut Authenticam, egregiâ Contradictione, & postliminiò à Sixto V. Anno 1590. atq; Clemente

mente VIII. Anno 1592. Pontificibus Romanis, ut Emendatissimam pronunciatam; & inveterati Patrocinia Erroris deprehensus es levicula parum. Ita enim ipsa nescia fallere Translatio, Exod. XXXIV, 29. *Et Ignorabat Moyses, quod cornuta esset facies sua.* Quæ, quomodo cum Fonte Ebræo conspiret Paraphrasis, dispiendum nobis proposuimus. Proinde Αμεθοδολογίαν averuncaturi, negotium duobus absolvenus Capitibus. Ut autem BENE, ac FELICITER, בְּהַנּוּחַ

CAPUT I.

Nominis Mose (מֹשֶׁה) adfertur Scriptio. Ebraica. Vulgata. Cabbalistica. Expositio Rabbinica. Originatio. Hujus ratio. Abrabaneel refutatur. Alia Nomina Mosis adducuntur. Unde Scriptio Moses. Unde Moyses? Occurrit in N. T. μωϋσῆς. Vocem esse Ægyptiacam volunt. Negatur. Rationes adducuntur. Adversariorum rejiciuntur.

§. I. Verba ipsius Mosis Testimonium de seipso perhibentis C. XXXIV, 29. Exod. hæc sunt: וְיִרְעֵה לְאֹהֲרֵי עוֹר וְיִשָּׁח לְאֹהֲרֵי עוֹר *Et Moseb non cognovit, quod promicuisset sive resplenduisset Cutis Faciei suæ, cum loqueretur cum eo sc. Domino.* Examinaturi Vulgati non laudatam æq; quàm citatam modò Versionem, jure sequimur vestigia, quæ pressit antè Sanctus Spiritus. Præmittit is *Mosis* Vocem, quàm Interpres Noster præter rem omittit, alibi autem interserito υ ψιλῶ *Moyses* scribit. Principiò itaq; in Originem vocis nec non scriptiōis illius bonitatem aliaq; ansâ datâ inquirendum erit. Ita simul de subiecto hujus constabit Sermonis. Per extensum autem huncce funem ibimus felicius, si Comitem, Ebræi Codicis adjunxerimus Æquipondium. Uniformiter alioquin per ipsum, immò & Chaldaicam Onceli Paraphrasin reperitur מֹשֶׁה scriptum, nisi si unicum illud *Judic.* XVIII, 30. excipere gaudeas, ubi eam vocem interfertâ, eaq; suspensâ litterâ Nun מֹשֶׁה scriptam inveniri Ebræi annotant. Ajunt quippe, Gersonem recensitum ibi fuisse Filium מֹשֶׁה I. *Chron.* XXIII, 14. *Exod.* II, 24. At cum Manassis potius quàm Mosis institerit Gressibus, scriptorem divinum veritum, ne ignominiosum Pietati Mosis foret, filiū educasse impium, litteram paulò suspensam de industriâ inseruisse, ut notaretur Gerson ille ori-

riundus ex מִשֵּׁה, quā profapiam, ex מִנְשֵׁה quā imitationem,
V.B. Glass. Philol. Sacr. p. 305. Huic observationi ex primā Cabbalæ
 specie petitæ addo aliam ex tertiā, quæ תִּמְרָה audit. Trans-
 ponunt vocem מִשֵּׁה ut oriatur מִשֵּׁה Nomen. Exponunt dein vel
 per Virtutem, & Potentiam admirandam Mosi collatam, vel per
 ipsum Nomen celebre, ac magnum, quodq; potens ac terribile
 Pharaoni fuerit & Ægyptiis. Quo de unicum illud ex *Clemente*
Alexandrino l. 1. Stromat. p. 40. verbisejusdem recensebo. *Artar-*
panus in opere de Judeis, refert Mosē in Custodiā inclusum à Nechephre
Rege Ægyptiorum, eò quod peteret, ut populus liberaretur ex Ægypto,
noctu aperto Carcere Dei voluntate egressum, cum in Regiam accessisset,
dormienti Regi adstitisse & eum excitasse, eum autem eo quod factum
fuerat stupefactum, jussisse Mosi ut diceret Nomen ejus qui miserat, &
illum quidem, cum ad aurem se inclinasset, dixisse. Regem autem, cum
audiisset, mutum cecidisse, cum eum autem Moses tenuisset rursus re-
vixisse. Aliàs ad secundam Cabbalæ pertient speciem, quod hisce
 litteris מִשֵּׁה insigniatur Grammatica R. Mosche Kimchi, simulq;
 Autoris Nomen. *Conf. Dn. Buxtorf. Abbrev. p. 138.* Sed hæc obiter.

§. II. Ex hac uniformi Scriptione, si adsciscatur potissimè
 Exod. II, 10. quo in Loco Moses ipse Nominis sui exponit Nata-
 les, Phœbéo illustrius Jubare apparebit, Nomen illud Origine
 Ebraum esse & Particip. Benoni, *Extrahentem* notans, adeoq; à
 re gestā præterita desumptum, pro מִשֵּׁה particip. Paul, *Extrahē*
 significante, (à R. מִשֵּׁה quæ de Extractione ex aquis usurpatur
 2. Sam. XXII, 17. Ps. XVIII, 16.) uti *B. Glassius Grammat. Sacr. L. IV.*
Tr. III. p. 792. & Pasor in Etymis Nominum Proprior. p. 54. docè
 monent. Jactatum enim Aquis in fiscellā scirpeā Legislatorum
 maximum, Pharaonis Filia (quam maritatam, at sterilem, idq;
 cupidam Natorum fuisse *Clemens d. l.* refert) intuita, extraxit
 ipsiq; Mosē Nomen imposuit, ratione denominationis adjunctā
 hac: מִן הַמֵּיִם מִשֵּׁהוּ quia ex Aquis extraxi eum. Diversum
 hic sentit Abrabaneel magni apud suos, magni apud Christianos
 Nominis, Nomen fuisse Mosi substantiale (מִצְרַיִם) à Matre, non
 Reginā, cum infans esset, ei impositum. Hinc Matri verba hæc
 propriè adscribit, ut sensus sit, eam Pharaonis filia dixisse, se ac
 domesticos suos appellasse eum Mosē, quod ex aquis extractus
 esset.

esset. Quin illud מִשְׁתֵּירוֹ non vult reddi, *extraxi eum*. Sic enim dicendum fuisset מִשְׁתֵּירוֹ. Verum *extraxisti eum*; sic nempe Matrem Mosis Pharaonis Filiam esse allocutam. Quam sententiam ex Abrabaneele & refert & rejicit Christoph. Cartwrightius *Anglus in Additamētis ad Electa Thargumico Rabbini in Exod. p. 492. Londini Anno M DC LVIII*. Etiam si fundamentum Refutationis videatur lubricum quadantenus. Ait: Certè Punctatio Vocis מִשְׁתֵּירוֹ arguit positum esse pro מִשְׁתֵּירוֹ. Alioqui enim sic punctanda esset מִשְׁתֵּירוֹ quod ab Abrabaneele non animadversum esse miror. Prius quod dicitur, Laudem habet. Chirek enim fulcro suo in tali casu destitui interdū evincunt exempla עָשִׂיתִם feci eos Gen. VI, 7. עָשִׂיתִי feci mihi Ezech. XXIX, 3. At posterius Labem. Necessarium quippe simpliciter non erat, ut per Tzere fieret punctatio, cum plures longè habeat divina Pagina voces, in quibus parilis casus interpunxit Jod & ipsam fœminei generis notam in Chirek quiescentem, ut נָתַתִּירוֹ dedisti eum. Ezech. XVI, 19. נָשְׂאִתִּים porras ea, & 58. Et ubi prorsum expunxit, ut defectivè legamus הִכְרַעְתִּנִי depressisti me Jud. XI, 35. יִלְדִיתִנִי peperisti me Jer. XV, 10. רָמִיתִנִי decepisti me 1. Sam. XIX, 17. Conf. Cl. Buxtorf. Thes. Gr. L. II. c. XVII. p. 308. nec non Amplifs. atq; Excell. Dn. Andreas Sennertus Gram. Ebr. p. 159. Abrabaneelem E. correcturus potiori jure videtur Cohærentiam Textus Interpretumq; allegare Harmoniam, quàm ancipitem Vocis punctationem.

§. III. Volunt quidem & ab aliis alia Mosis attributa fuisse Nomina. R. Aben Ezra Ægyptiacum ejus Nomen *Monjos*, quod ipsum Mosis nomen, diversimodè in diversis pronunciatum Lingvis putat, allegat; Quo de *Abrabaneel d. l. & Junius ad version. Tremell. c. II. Exod. p. 69. consulendus. Clemens Alexandr. Lib. I. Strom. p. 40. B.* præter illud à Reginâ, duo alia eidem imposita statuit. *Clarum est, ait, quod prius circumciso puero Parentes aliquod Nomen imposuerunt. Vocabatur autem Joachim. Habuit autem tertium quoq; Nomen in Cælo postquam assumptus est, ut dicunt Mystæ, nempe Melchi. R. Gedalia Schalscheles Haccabala p. II. b. citante Hottingero Histor. Orient. L. I. c. III. p. 52. plura recenset: Pater, inquit, ipsum vocavit Chaber; mater Jekutiel; soror ejus Jether; Frater ejus Abi-Zanua, Kehat nuncupavit eum Abi-Socco; Israël Schemajas, non raro scriba*

scriba, quæ omnia explicationem habent allegoricam. Egyptij verò voca-
runt eum Honios. Eadem ferè allegoricè exposita ex B. Hieronymo,
t. 4. p. 115. *Quæst. in Paral.* vid. apud Dn Hottinger. d. l. Nomina ist-
hæc cum ἀπεργαφῆς & absq; specie veritatis, nec sine Autorum
Dissensu simul uni Mosi adjudicentur, parum de iis solliciti, me-
ritò Inventoribus defendenda relinquimus & ad nostrum πῦν
revertimur.

§. IV. Certissimis autem nobis nunc de Origine ejusdem,
deveniendum erit ad Descriptionem *Mosis* vulgatam, atq; quonam
Calculo, atrone an albo notanda sit, dispiciendum. Sequendum
esse arbitror, quò nos ducit Θεοπνευσία scriptorum sacrorum, &
nos falsum iri neutiquam. Simplicissimè verò ex πῦν fit Mosche
vel Moses, adspiratione in ψ elisa, quam nullus Character Lati-
nus conjunctā cum aliā litterā habet. Fit & inde Græcum μωσῆς,
simili ratione pro μωχῆς, ψ in Demollito, sicuti Græcis ut pluri-
mum pronunciari solet, censente *Pasore d. l.* Hæc q; scriptio per-
petuò ferè in Instrumento N. obtinet; ex quā procul dubio omni
& Latinum *Moses* oriundum & ad Ejus formam scribendum est.
Et quamvis alicubi *Actor.* VII, 35. & 37. μωϋσῆς inveniatur scriptū,
tamē cum in eodē capite vicib9 multò plurib9 legatur sine υ, con-
jecturari inde mihi cum *Cl. Drusio L. III. qu. LI. p. 163.* liceat, inter-
dum lectū fuisse μωσῆς ex Syriaco נִמֹשׁ ac post divisā Diphthon-
go factum μωυσῆς, ac iteratā alteratione μωϋσῆς. Fieri illud po-
tuisse persuadent in aliis Nominibus Propriis, variantes Codices,
e. g. ubi *Matt.* XI, 21. legitur & χορραζῖν, & χωρραζῖν, & χορραζαῖν.
Marc. II, 14. ubi diversa Exemplaria legunt λευῖν, λευεῖ & λευῖ. V.
Celeb. Glassio Philol. Sacr. L. I. Tr. II. p. 128. Aut respexisse Apostol9,
dicēd9 est, (ut alibi *Paulus Rom.* 10, 18.) ad τὰς ο, quibus μωϋσῆς
scriptio frequentatur maximè: At verò illud vix probabile esse,
edocent plura alia loca, quæ de neglectā hæc, observatā autem
veritati Ebraicæ propinquiore Scripturā luculenter testantur.

§. V. Benè magna quidem Auctorum gravium Farrago, quod
non inficiamur, pro adversā nobis militat Sententiā. Et militan-
dum illis est, quamdiu sanctam, Ebræam dico, voci denegant Ori-
ginem. Præstant id v. *LXXII. Interpres, Philo Judæus, de Vita Mosis*
l. 1. Joseph. l. 1. contra Appionem: & lib. 2. Antiqu. Jud. c. 5. Nicol.
Lyra, ex Egyptiaco deducentes eam Idiomate, factamq; existi-
mantes

mantes per coalitionem duarum vocum מֹשֶׁה vel מֹשֶׁ & הֹשֶׁ, quorū prior Aquā, posterior servatumq; notat. Præfatos Scriptores sequi dicitur *Clemens Alexandr. l. 1. Str. p. 40. A. qui. Puer, inquit, imponit Nomen Regina, Moses, aptā etymologiā, eò quòd eum ex Aquā sustulisset. Aquam enim Moy vocant Egypti, in quā moriturus fuerat expositus. Moysen enim vocant eum, qui ex aquā emersus respiraverit.* Interim, quia Interpres *Gentianus Hervetus Aurelius in Edit. Flor. M D LI.* Scriptionem, contra quam pugnamus, nusquam aliās observat, quin serió à Clemente fuerit adsertum, jure ambigo. Nostro seculo acriter pro Vulgatā decertavit *Athanas. Kircherius Prodomo Copto, ubi p. 135. ait: Ii, qui nomen Moysis ab Hebraicā voce מֹשֶׁ diductum, Hebraicum esse volunt, graviter errant. Cum hanc vocem Coptam seu Egyptiacam esse certè Sacra Scriptura clarè indicet (Exod. II.) Pergit: E quibus verbis clarè patet hoc nomen Moysi non à Parentibus, nec ab aliquo alio ex Hebraorū gente, sed ab ipsā Pharaonis filiā inditum esse; quæ cum præter Vernaculam Egyptiā aliam familiārē non haberet; certè inventū puerum eam Egyptio nomine Moysen, quasi diceret, ex aquis servatum, appellasse in confesso est. Decertavit & pro eadem, qui hunc laudat Cl. Hottinger. in Exercit. Anti-Morin. p. 48. & in Histor. Orient. L. I. c. III. p. 52.*

§. VI. Liceat autem sine Duumvirorum horum Læsione æstimare dicta, nec citò illis assentiri. Certū est, in ejus Lingvā, quam quisq; excolendam cōmendandamq; sibi sumit, multa convasari quandoq; Laudem. Agit hoc Kircherius. Et ut Veterem se reperisse Egyptiacam Lingvā Lingvā audaciore adfirmare queat, hinc inde Munimina constipat fallacia. Arbitratur itaq; speciatim Rudera Idiomatis istius in Voce Mosis exstare, proindeq; Egyptiacam esse. At nō tam faciles nos à nostrā dimoveri patimur concepta semel sententiā. Nostrum n. מֹשֶׁ & ratione vocis & formationis cū Ebræā Lingvā optimè convenire, velis videt, qui primis labris degustavit Ebraica. Cum מֹשֶׁ autem nullam Cognationem habere. Quærit quidem illam *Gregorius Gregori Francus in Lexico S. N.º LVIII. p. 65. מֹשֶׁ ait, in regimine מֹ cum Josephi Moy facile conciliatur, & מֹ servare est.* Verum conformitatem fingit, non invenit, ut vel in centenis aliis locis. Et si ponatur aliqualis Convenientia, tamen elabi possimus cū *Amamā A. B. p. 438. & ipso Greger. d. l. statuentibus, Lingvā Egyptiacam*

B

Ebrææ

Ebrææ Matris Dialectum fuisse, admodumq; ei ad finem Loquuntur autē de Antiquā Ægyptiacā, non recentiore illā Kircherii, de qua testatur *Doctiss. Hottinger.* distare eam *ἡ γὰρ παλαιὰ* & vocib; & formationib; ab Ebræā. Nam ut ex copioso satis Lexico Copto-Arabico M. S. colligere sit, vix duo triaq; exstare verba purē Ægyptiaca, quæ vel aliquā ratione cum Ebræis conveniant. Relinqueretur E. adhuc, Radicem vocis Ebræam, esse, quicquid de formatione sit. Sed nec hoc *νεοφύετο* nobis usus est. Arbitraturq; n. denominari Moſen ex consociatione Particularum à Josepho datarum, è diametro opponere sese Fonti Ebræo videtur. Hic quippe dictum eum dicit, non quod in Aquis sit servatq;, sed quod ex Aquis puer protractus fuerit.

§. VII. Quin etiam, quas adfert Kircherius rationes, nunquam ad amplectendam sententiam Scripturæ adversam, nos adigenti. Absurdum non dices, si Pharaonis filiam sanctū quoq; intellexisse Idioma dixeris. Absurdū protuleris potius, si Ægyptios & Israëlitas per tantum temporis Intervallum inter se conjunctissimos vixisse & tamen alteros alterorum Linguam scivisse cum ignarissimis juxta, adfirmaveris. Interpreſ, Ægyptius proculdubio, per quem Fratrum desideria explorabat Josephus, sanè Lingvæ sacræ erat callentissimus. Taceo, haud videri improbabile, Pharaonis filiam Puerum Ebræum Ebræo insignire sategisse Nomine. Contrarium si obtinuerit, mirum quantum vacillabit, quod ab Etymologiis Nominum Adam, Eva, Kain &c. ad Antiquitatē Lingvæ Eberinæ probandam, desumitur Argumentum palmarium tantum non; Id quod benè adversum AbenEsrā aliosq; urſit *Abraheel* apud *Cartwrightum* laudatum *supra* p. 492. Destructo proinde caduco hoc pariete, cornet haut difficulter, quæ hactenus eidem inclinavit Nominis *Mosis* scriptio.

CAPUT II.

Verborum פני עור קרן versio Chaldaica. Græca. Latina. Germanica. Judæorum de Picturâ Moſis Judicium. AbenEzra Error. Libri Mesal Cadmori futilis Lusus. Vera de Cornutâ facie sententia Pontificiorum Consensus. Objectio ex Habac. IV, 3. soluta. Splendoris in facie causa. Duratio & alia adducuntur.

§. I. Qui interrogatur, an Cornua habeat, non est tam stultq;, ut Frontem suam tentet, Prudenter Seneca ait. Parū abest, ut hanc

hanc stultitiæ dicam Mosi, Divino Viro impingat Vulgata. Ignorasse eum enim dicit, Faciem suam Cornutam esse. Fontem ergo indagandum est, ut an purus fluat hic rivulus, experiamur. Ille habet. Et Moses ignorabat, כי קרן צור פניו. Quæ verba Targum Onceli ita *ܟܝ ܩܪܢ ܥܝܢܝܗ* : *quod multiplicatus erat* (ex R. Chald. *ܐܝܢܝܗ* crescere, multiplicari V. *Ampliss. Dn. Sennerei Chald. & Syriasm. p. 78. & Rabbinsm. M S. p. 56.*) splendor sive Corona vultus ejus. Sic & Jonathan, quod glorificatus esset splendor aspectus faciei sue, qui primus aliàs & doctissimus octoginta Hillelis Discipulorum fuit, cuiq; Paraphrasin hanc in Pentateuchum Dn. D. Helvicius Tract. de Chaldaic. Bibliorū Paraphrasibus p. 10. ex eâ ratione adscribit, quia pleraq; loca à Christianis usurpata non minus in hoc Targum, quàm in altero super Prophetas, quod tamen absq; Controversiâ Jonathani tribuitur, contra Judæos faciant, & multorum Locorum præclara Expositio ad Christianæ Religionis sensum in eo tradatur; etiamsi annò post Magn. Buxtorf. in Abbreviat. p. 107. supposititium contra existimet scriptum. Eodem sensu LXX. *ὅτι δεδόξαται ἡ ὄψις τοῦ προσώπου τοῦ ὁσίου αὐτοῦ*, quod gloriosè splenduit aspectus Cutis s. Coloris faciei ejus. Tremell. & Junius: *Ut ignoraret Mosche, splendidam esse factam Cutem faciei sue.* B. Lutherus: *Daß die Haut seines Angesichts glänzet.* Omnes exactè, voces Ebraicas expressuri. Nam קרן splendere, fulgere, radiare, coruscare, rutilare significat. Et quia à Nominali Radice קרן Cornu, trahit Natalitia, meritò quidem exponunt Radios splendoris instar Cornuum emittere, ut Buxtorf. in Lexico Hebr. p. 696. in modum Cornuum Radios diffundere, sicuti D. Glass. Rhetor. Sacr. Tr. I. cap. XI. p. 308. Ut enim Cornua ex Fronte Animalis exsurgunt, sic radii è Lumine emergere & dilatari paulatim videntur, ait Gerhard. Tom. IX. LL. CC. p. 910. Ita non ab Etymologiâ vocis tantummodò stamus, sed usum, penes quem vis & loquendi Norma est rectius advertimus, quod circa vocem hanc suadet Dn D. Danbauer. *Idea Boni Interpr. p. 129.*

§. II. Dissidentes quidem hic non offendimus Recutitos; tantum enim abest, ut ii nostram sententiâ deleant, ut indignabundi etiam rideant Nos & exsecrentur, quoties Moysen in Templis nostris cornutâ facie depictum vident, quasi nos eum Diabolum quendam esse putemus, uti loquitur August. Steuchus Episcopus Xisamenis

apud *Sixtin. ab Amama A. B. p. 571.* Cum enim ipsi omnes alias
 Imagines humanas, etiam ornatus gratia, fieri posse, negatum
 eant, nisi forte שוקעו profundas s. depressas cum R. Maimonide
 ridiculè exceperis; (Conf. *Dn. Hotting. Juris Ebr. Leg. XXIX. p. 41.*
& L. XXXIX. p. 51.) nec monstrosam illam Doctoris sui maximi
 Picturam queunt meliù edocti haud improbare. Attamen frustra
 est R. AbenEzra, ob insignem quamvis doctrinam & sapientiam
 הא' ע'חל' alioqui חכמ' salutatus, dum præsentem Locum in
 contrarium planè detorsit sensum, ratus, Mosen quadraginta die-
 rum totidemq; Noctium jejunio adeò macilentum esse factum, ut
 facies ejus instar Cornu prorsus arida & exsucca fuerit. Refert
 id *Cartwrightus l. d. p. 443.* Leve prorsus est ac futile, ne dicam quid
 majus, quod in Libro Ebræo משל הקרמוני cap. 26. cujus Auctor
 R. Isaac Filius Salomonis, hæc verba קרן עור פניו notante *Drusio*
lib. I. quest. I. in hoc sensu, Cutis faciei ejus est Cornuta, de eo, cujus
 Uxor adultera, exponuntur, secundum id quod Vulgus parum
 piè jactitat: Cornua qui faciunt, ne Cornua ferre recusent:
 quodq; & olim vulgatum fuisse ex Festo Pompejo conjicit *Janus*
Gruterus Suspicion. Lib. VIII. c. 10. Quasi & electum Heroa ex Con-
 juge mœchâ factum putent Cornigerum. Nolo joco stabilire
 jocum. Famam esse memorat *Ensebius lib. I. Demonstr. Evang. c. 9.*
 apud *Chemnit. part. III. Exam. p. 95.* Mosen post Apparitiones &
 accepta Oracula Dei Uxorem abstinnisse.

§. III. E Christianis solus penè Vulgatus interpres, uti jam-
 jam monitum, à limpido Fonte discedit, quando Cornutam fa-
 ciem interpretatur, secutus fortean Aquilam, qui antè verterat
 περιτῶδες ἦν. Hunc imitati pars pictorum illitterata, quæ & in
 sui fidem, innocentem credulamq; rapuit plebem. At propriè
 dicta Moses Cornua non habuit. Hæc etenim deformem mage
 reddidissent ejus Vultû, quam nitidum. Radios duntaxat splen-
 didissimos, ad instar Stellarum, è facie sua emittebat, redux ad
 populum factus è monte, verba sunt *Dn. Mich. Waltheri Harmon.*
Bibl. p. 304. Adeò, ut cum Israëlitis collocuturus imponere Velum
 faciei fuerit coactus, non laturis aliàs Fulgorem istum ac tantum
 splendorè radiatum. Nec nobis ipsi suo desunt Calculo Papicolæ.
 Præfatus *Steuchus l. d.* ait: *Non habetur in Contextu Ebr. faciem*
Mosis fuisse cornutam, sed radiantem fuisse Cutem. Non enim Cornua è
fronte

fronte egrediebantur, sed & *Frons* & *Nasus* & *Os* & *Mentum* radiabant.
 Et mirum quod Hieronym. non consideratâ Veritate Ebraicâ non ad-
 verterat etiâ quid LXX. transtulissent, qui benè hunc locum transtu-
 lerunt. Fatetur idem etiam Thomas Aquinas in 2. Cor. 3. Lect. 2.
Mosis, inquit, facies cornuta, non quod cornua haberet, sed propter
 radios, quibus tota facies radiabat quasi Cornua quedam. Fatentur
 illud alii Cajetanus Comm. in Exod. c. 34. Sixtus Senensis Biblio-
 thec. l. 5. Annot. 116. Bellarminus de Eccles. triumph. 2. 4. & Jacob
 Alvarez de Paz de Vitâ Spirituali Lib. IV. Part. III. cap. 25. p. 885. E.
 Quæ fuerit de hoc Ebraicè doctissimorum Pontificiorum Santis
 Pagnini & Ariæ Montani Sententia, Versione suâ monstrat uterq;
 alter reddens, quod resplendisset, alter, quod promicuisset Cutis.
 Cur verò ad tot Monitorum instantiam illud sibi sumere non
 fuerint ausi Pontifices, ut pro Cornutâ reponerent splendida, jure
 meritò mirari cum Amama lubet.

§. IV. Relinquatur nobis simplicissima hæc & commoda satis
 Istorum Expositio & porrò cum Flacio Part. I. Clav. Col. 183. an-
 cipites non habebimus, quâ Ratione Mose Verbum Cornuasse sit
 attributum, num ratione splendoris, qui innatus cornu boum attenuato
 aut levigato inesse videtur: quod sic & *Mosis* facies in se quid lucidum
 ac fulgens, ex Dei familiaritate colloquioq; sibi attraxerat: aut ideò,
 quod perinde illa flammula in pyramidem elevabatur ac desinebat, sicut
 Cornua: aut deniq; ideò, quia sic splendor in omnes partes se effuderit,
 ac diradiaverit, ut imitaretur brutorum capita, quæ in plures partes
 sua cornua effundunt. Quod hic in est divinitatis, explicatu mor-
 talibus nobis, est ἀδυνατον. Illud modò removebimus, quod
 expositæ hætenus sententiæ videtur obstare. Habac. III, 4. (al.
 IV, 4.) hæc leguntur: Et splendor ut Lux erat, Cornua de Manu
 ejus ei. Ubi Scholia Ebraica, secundum Observationem Drusii
 Lektion. in h. l. p. 916. Pronomen Ei ad Mosen referunt, hoc sensu;
 Cornua erant ei à manu sive potentiâ DEI, vel, ab ipso DEO.
 Verùm nullus de Mose hîc sermo est. Vates DEUM ipsum cum
 majestate gloriosâ Legem promulgantem devotus extollit, in-
 telligens adeò per Cornua, quæ è manu s. è lateribus utrinq; emi-
 cabant, radios splendidissimos ac lucidissimos, quibus velut
 Umbraculis totam majestatem ac potentiam suam obtegebat, ne
 illa in se spectata Creaturas absorberet penitus, uti cum Francisc.

Junio, D. Joh. Tarnov. Comment. in b. l. p. 85. sentit. Quod autem קרנים in duali dicitur Numero, id, ut bina Mosi ad fingam9 Cornua Itatim, nondum auctoramento nobis est. Enim verò de Mose Locus iste planè non loquitur. Et quare in datâ Notatione Cornua Deo adscribi nequirent? Quin Canon tritus habet, apud D. Glass. Gram. Sacr. Tr. I. Can. XXIII. p. 86. Dualis terminatio non semper dualitatem in re ipsâ infert; tum quod quædam terminatione dualia sint, ubi rerum dualitas certò ostendi nequit, tum quod, quâ terminationem dualia per additum adjectivum numerale, aut aliâ quadam ratione ad pluralitatem reducantur. Id de voce קרנים dispalescet ex Dan. VII, 7. Et ponamus licet dualem significationem, tamen ex aliorum mente binas tabulas Legis denotatas esse, interim possemus dicere; hasq; , ut ajunt, dictas ob radios, quos emittebant s. ob flamarum pyramidalem ac tortuosam figuram. Et cum alias Lex vocetur Ignis Deut. XXXIII, 2. In dexterâ ejus ignea Lex: rectius fortasse huc applicaveris, quàm Traditioni Rabbiorum fingentium Legem à Deo scriptam fuisse in globum igneum per ignem fuscum super dorsum ignis candidi; quod in Dissertat. de Cabbalâ p. 33. refert Dn. Sennertus, Patronus ac Præceptor noster Magnus. Verùm silendum hîc nobis est, in causâ, quæ Theologis decidenda venit.

§. V. Non prætermittendum postremò quod dicitur: Et Moses ignorabat, splendidam esse factam Cutem faciei suæ אמתו ברכו in loquendo ipsum cum Eo, Ita Arias. ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ, Ita LXX. utriq; ad verbum. Santes Latine magis; Cum loqueretur cum eo. B. Lutherus. Davon / daß Er mit Ihm geredt hatte. Vulgata verò pro Arbitrio iterum additis & demtis Vocibus interpretatur: Ex Consortio Sermonis Domini. Mittatur tamen, sensum fortè quàm Verba expressiorem dare visa. De Particulæ כ paulisper dispiciendum Versione & Valore est. Hanc Infinito præfixam, si prius illud in finitum redegeris, exponi posse Cum, quando, postquam, est in Confesso. Ista, si h. l. instituat Expositio, hoc sensu, cum, s. quando loquebatur cum eo, AbenEzræ gratificamur arbitranti, faciem Mosi non radiasse, nisi durante Colloquio cum Deo, ac Velum sibi imposuisse, ne Israëlitarum nonnulli existimarent, dignitatem ejus esse diminutam, cum ad pristinam redactum formam adspexerint Vultum. Quod

Quod si autem particulum ב causalem agnoscimus, ut sit sensus,
 quia loquebatur cum eo, Vota damus Abrabaneeli ב הסבה cau-
 sam splendoris cupienti notari ac rationem reddi, non quare
 Vultus Moſis radiaverit, sed quare Moſes radiare vultum suum
 non ſenſerit, nempe, quia Deo arcte adhærebat, eiq; ſoli intentus
 erat. Obscuriusculum, fateor, eſt, quam arripere liceat ſenten-
 tiam. AbenEzræ contra Histoſiam ſacram Exod. XXXIV. con-
 traq; Paulum. 2. Cor. III, 12. ſeqq. pugnat Adſertio. Huic &
 recte ſeſe opponit Abrabaneel, cit. Cartwrighto Additament. ſuprà
 laudatis p. 546. dum, velum non excogitatum eſſe, ait לראו
 לראו העם הערר האור כי אם שלא יראו אור עצמו;
 ne populus defectum Lucis, ſed ne ipſam Lucem adſpicerent. Abra-
 baneelis v. ipſius quoq; Opinio, cauſali acceptione ב נititur,
 cui in hâc ſyntaxi vix ſimile reperire Exemplum eſt in Codice;
 De Nominibus alia res eſt, quibus cum conſtructa ſapiculè Pro-
 pter notaſſe viſitur. V. omnino B. Glaſſium Gr. Sac. Tr. IV. Can. 6.
 §. 5. & Lib. IV. Tr. I. Obſ. V. p. 668. Utrūq; E. ſub certâ condi-
 tione deſerimus, rati uſitatiffimæ illi Expoſitioni inſiſtendum
 eſſe, reddendumq; Faciem Moſis radiari cepiſſe, quando, cum
 poſtquam cum Deo colloquia ſacra miſcuiffet; ſic enim nihilo-
 minus ſimul indigitari, quando & unde radiatio iſthæc orta ſit,
 quodq; finito colloquio non illico ceſſarit. Cæteroquin, quô
 tempore tandem fulgor hic deſierit in Vultu Moſaico, de eo eru-
 dimur ex דברים רבה, ubi hæc recenſetur inter Adamum &
 Moſen contentio. Dicebat Adam primus Homo, Ego maior ſum,
 quam Tu, quia creatus ſum ad Imaginem Dei S. B. Unde? Quia
 dictum eſt Gen. I, 26. Et creavit Deus Adamum ad Imaginem ſuam.
 Reſpondebat Moſes, imò v. ego excellentior ſum quam tu: Gloria enim
 tibi data rurſum à te ablata fuit, quia dictum eſt Pſalm. XLIX, 13.
 Et Adam in Honore non permansit: mecum verò, quoad dixi, manſit
 ſplendor faciei, quem dederat mihi Benedictus ille. Deut. XXXIV, 7.
 Verba Rabbinica vid. ap. Cl. Hackſpan. p. m. in Tractatu de Uſu
 Librorum Rabbinicorum annexo Nizachon R. Lipmanni p. 463.
 At Nugæ ſunt. Tacer Scriptura, taceamus ergo & nos, & ab A-
 pellis Informationem, quam dare neſciunt, petere, nefas
 iudicemus.

§. VI. Sed pagellarum movent anguſtiæ, ut, quæ in mentem erant pro-
 lixiori capite pertexere adhuc, numero quaſi & compendio dicantur.
 Nimirum

Nimirum, ex Antiquitate obscurum haud est, pleraq; dicta & facta Jehovæ Paganos, similibus Deorum suorum expressisse, plerasq; etiam ceremonias Judaicas & alia plura, æmulationis pravâ libidine ad se rapuisse. Quin itaq; & hæc innotuerit Gentilismo Historia, nullus dubito. Certè de Mose extare vestigia persuadere nobis patimur, egregium illud Mendacium Plutarchi lib. 4. de Sympos. c. 1. & istius ferè æqualis, Taciti Hist. lib. 8. Asini Effigiem, quo monstrante errorem sitimq; depulerint, penetrati sacravisse Judæos adfirmantium. V. Nicol. Füller. l. III. Miscell. Sacr. cap. 8. p. 322. Persuadere Idem nobis conatur Hugo Sanfordus Theologus de Christi descensu lib. I. (quem laudat Becmann. de Orig. LL. p. 273.) Mosē demonstrans esse Gentilitium Bacchum, quem Dithyrambum, bimatrem & κορυμβόφρον s. Cornigerum finxit Antiquitas. Speciatim inter alia & à radiatâ Mosis facie profectum morem s. κακοζήλιαν potius, Numina capite radiato pingendi putaverim. Hoc enim divinitatis signum ab ipsis æstimatum est. Quod constat ex Pacato; Suetonio, qui in Augusto c. 94. habet: *Sequenti nocte statim videre visus est Filium mortali specie ampliore cum fulmine & sceptro exuvissq; Jovis Opt. Max. ac radiati coronâ superlaureatum Currum bis senis equis candore eximio trahentibus.* Idem ex Lucano liquet Lib. 7. v. 460. nec non Virgilio. 3. Aeneid. v. 147. Ubi effigies sacras divum multo manifestas Lumine visas recensetur. Multum illud Lumen Taubman, in Comment. p. 506. deinde exponit Nimbū, qui cum Numinibus semper est. Postea, radiis ejusmodi & astris Principum, divorum loco habitorum, Capita picta sunt, uti Julio Cæsari hunc honorem tributum inter alios Florus Lib. IV. c. 2. adnotavit; & Tacitus testis est, Augustum serid se in templis & effigie Numinum, præcipuè Jovis, per flamines coli voluisse. Mos iste devolutus ad Persarum reges quoq; est. Sic enim de iis Petrus Ravenn. Chrysologus Serm. 120. *Persarum Reges, ait, nunc radiato capite, ne sint Homines, Solis resident in figurâ: nunc impositis sibi cornibus, quasi Viros se esse doleant, effeminantur in Lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, ut Hominis perdant figuram &c.* Quod & pictores nostri Apostolos, Virginem Θεοτόκον, ipsum Servatorem Christum, nimbo & orbiculo splendenti & radiato pingant, more à Paganis traducto fieri, Taubmanus d. l. censet. Cui suffragatur Dn. D. Ursinus Acerrâ Philolog. L. V. Mantiss. Epigr. 5. p. 505. quæsito licet alio fundamento: Μηνίσκος vocant Græci, inquit, Lunulas illas aut Acumina, quæ capitibus statuarum imponi solebant, ne insiderent iis Aves, easq; fœdarent, & conspurcarent, ut Aristophanis Scholiastes & Hesychius referunt. Causam ignorantes pictores nostri etiam pictis Imaginibus addidere tanquam Honoris insigne, cum esset manifestum imbelles idolorum argumentum, & nota q. in fronte exstans, quæ testaretur, Deos illos, ne quidem contra Advium Egeriem capita sua tueri posse. De Vicinâ huic nostræ materiâ, puta de Alexandro Bicorni Turcis Dul Karnaim dicto, circa quem operose laborarunt D. Ursinus Anal. Sacr. lib. I. p. 50. Hottinger. Hist. Orient. Lib. I. c. 3. p. 73. Const. L' Empereur. Not. in Jachiad. Daniel c. VIII. v. 5. Itemq; de splendido splendida Salvatoris faciei Figmento, quod Damasceno tribuit B. Chemnit. Part. IV. Exam. Conc. Trid. p. 44. pluscula addere, Charta prohibet.

תלך אבן:

IN LEVITICVM.

LIBRARIUS THEOLOGICUS
IN
INGRESSU
SVMPTIBUS
IN
SANTVM SANCTORVM
ANNO
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
FRIDERICI AUGUSTI
M. JO. JACOBUS REIFELT
JONA. OBER
IN AVDITORIO MUNICI
DE J. N. S. S. S. S.
IN AVDITORIO MUNICI
DE J. N. S. S. S. S.

Umg VI 16

ULB Halle 3
002 061 678




6-317
sb

7







EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM,
De
Facie Mofis,
quam pingunt,
Cornutâ,

Ad EXOD. C. XXXIV. Comma 29. ex parte
Publico συμφιλολογούντων submittunt
Examine

PRÆSES
M. MICHAEL Liebentanz/
&

RESPONDENS
MARTINUS HOFFMANNUS,
Vratislaviâ - Silesii.

In Auditorio Minori, a. d. XI. Augusti,
Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.
Anno MDC LX.